

Julii 1617. (33. Episcopus debet habere assistentes digniores, et honoratiores, et si aliquas funciones exerceat in Ecclesia non Cathedrali nec Collegiata, debent ei assistere Canonici Cathedralis, vel Collegiatae, etiamsi in illis Ecclesiis sufficiens sit alioquin numerus Presbyterorum; Sac. Congreg. Rit. in Calaguritana 1. Junii 1601. (34. Episcopus, si in die Palmarum, una cum Capitulo, et Clero personaliter ad Monasterium Regularem accedere teneatur, debet ipse benedicere Palmas privative quoad Abbatem; Sac. Congreg. Rit. in Favent. 11. Aprilis 1601. (35. Episcopus non debet cum Cappa Versperas celebrare; Sac. Congreg. Rit. in Alexandrina 23. Martii 1608. in respons. ad dub. 8. (36. Episcopus assistens Divinis Officiis cum Cappa non debet singulos Canonicos ante ipsum salutare detegendo caput, sed satis est illis manu benedicere, Sac. Congreg. Rit. in Elven. 10. Januarii 1604. in respons. ad dub. 3. (37. Episcopo assistenti Divinis Officiis cum Cappa non debent Canonici ponere, et deponere birretum in ejus capite, nec isto casu ei assistere; Sac. Congreg. Rit. in Thelesina 22. Decembris 1609. (38. Episcopus, qui nullum habet Episcopatum, non potest in Ecclesia sua Jurisdictionali, veluti si esset Praepositus, Christia conferre, nec alia pontificalia exercere, nisi de expressa licentia Episcopi, intra cujus Diocesis fines Praepositura existit; Sac. Congreg. Concil. quam refert Aldan. in *compend. canon. resolut. lib. 3. tit. 24. n. 87.* (39. Episcopus non potest ministrare Christia sine licentia Ordinarii loci, etiam vocatus ab inferiore intra fines Diocesis existente, etiamsi ille inferior praetenderet ratione Exemptionis vocare Episcopum, quem maluerit, ad ministrandum Confirmationis Sacramentum. Si vero locus talis Exempti non sit intra fines Diocesis, sed nullius, tunc potest; Sac. Congreg. Concilii apud Aldan. loc. cit. tit. 24. num. 88. (40. Episcopus potest olea Sacra Catechumenorum et infirmorum, si a Cathedrali abfuerit, in alia Ecclesia consecrare et benedicere; Sac. Congreg. Rit. in Oriolen. 17. Novembris 1600. (41. Episcopus ex causa necessitatis potest conficere olea Sacra cum minori numero ministrorum, quam praescribitur in libro Pontificali; Sac. Congregat. Rit. in Curien. 21. Augusti 1604. apud Aldan. loc. cit. num. 86. (42. Episcopus in publicis Processionibus cum Cappa et Birreto, non inter dignitates, sed solus incedere debet. Quod si deferatur aliqua imago, seu Reliquia, ipse cum Cappa et Birreto incedere debet post Imaginem seu Reliquiam, nisi adsit consuetudo in contrarium; S. R. C. in Savonen. 20. Novembris 1620. Vide decreta S. R. C. in nostro tomo 9.

ADDITIONES NOVISS. EX ALIENA MANU.

(43. Episcopus inter Antiquior praecedentiam obtinet supra juniorem. At si Junior ad Archiepiscopatum promoveatur, indubie praecedentiam supra antiquiorem obtinere debet. (44. Quod si antiquior ad Archiepiscopatum et ipse postmodum promoveatur,

adhuc praecedentia debetur Episcopo juniore prius ad Archiepiscopatum promoti, (45. ut tradunt Card. de Luc. de *Praeeminent. discurs. 9. num. 6. Pitton. discept. ecclesiast. 116. num. 53.* et dixit Rot. in Augustana Juris praecedendi 28. Februarii 1746, § 11, cor. clar. mem. Bussio.

(46. Obstare tamen videntur plura exempla. Inter Canonicos (ut unum hic afferam), junior Sacerdos digniorem in choro locum tenet respectu senioris non Sacerdotis. (47. At si deinde senior factus et ipse sit Sacerdos, praecedat Juniori Sacerdoti; Ceccoper. *Lucubrat. Canonicae. lib. 1. tit. 11. a. num. 10. Panimoll. decis. 1. adnot. 8. n. 26. Rota cor. Emer. jur. decision. 66. numer. 2. Sacra Rit. Congr. in Eugubina Praecedentiae 15. Septembris 1736.*

Sed prompta est responsio. Ideo Episcopus Senior postea promotus et ipse ad Archiepiscopatum, cedere in praecedentia debet Episcopo juniore prius ad Archiepiscopatum promoti, quia (ut hisce verbis inquit Rota in d. Augustana Juris praecedendi 28. Februar. 1746, d. § 1, cor. clar. mem. Bussio) per assumptionem ad praecellentem dignitatem Archiepiscopalem pereunt jura primaei status ac semel ac quis Archiepiscopatum acquirit, desinit esse Episcopus, propterea que allegare amplius non valet antiquitatem status Episcopalis jam extinctam. Sed in apposito exemplo remanet status canonicalis, ideoque data paritate Sacerdotii, praecedentia desumenda est ab antiquioritate ipsius Canonicalis status.

ARTICULUS V.

*Episcopus quoad absolutionem et dispensationem.*

(1. Episcopus non potest absolvere a casibus et Censuris publicis reservatis Summo Pontifici; c. *Cum inferior, de Majoritar. et obedient.* (2. Nec a casibus et Censuris occultis in Bulla Cœnæ contentis, et maxime ab hæresi, ut aliunde ostensum est sub verb. *Absolutio* a num. 2 ad 3. Fagnan. in lib. 1. *Decretal. in c. Dilectus 13. de Temporibus Ordinationum* num. 30, ubi refert sic declarasse Sacram Congreg. Concilii, quæ interrogata, « sed numquid Episcopus facultate sibi tributa in d. c. 6, sess. 24, in casibus occultis post Concilium ex nova lege Sedi Apostolicæ reservatis etiam cum clausula *non obstantibus*, absolvere possit? » Censuit, non posse. Et in specie de hæresi cum dubitatum fuerit: « An Episcopus et Inquisitores possint hodie ex d. c. 6, sess. 24, absolvere lapsos in hæresim, non obstante Bulla Cœnæ Domini? » Censuit, *Bullam derogasse* Decreto c. 6. Vid. verb. *Absolutio* a num. 2. ad 3. (3. Potest tamen Episcopus absolvere a casibus occultis reservatis Summo Pontifici extra Bullam Cœnæ ex Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. *de Reformat.* ibi: « Liceat Episcopis... in quibuscumque casibus occultis etiam Apostolicæ Sedi reservatis delinquentes quoscumque sibi subditos in Diocesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter

deputandum in foro conscientiae gratis absolvere. » (4. Unde Episcopum vigore talis Decreti absolvere posse sive per se, sive per alium Confessarium specialiter delegatum a Censuris incursis ob violatam Clausuram, et Papæ reservatis, dummodo sint occultæ, tenet Monacelli part. 1. in append. adnotat. ad Constit. 8. S. Pii V. n. 4. Pignatell. tom. 10. consult. 100. num. 25. et ex multis late probat Navarr. tom. 2. lib. 5. *de Sententia excomm.* in exposit. Bullæ S. Pii V. num. 33. Sorbus in annotat. verb. *Ingressi Monasteria Fratrum*, post num. 1. vers. *Circa autem secundum supra notatum.* Sanchez in summa part. 2. lib. 6. cap. 15. num. 76. et cap. 17. num. 41. Thesaur. late in 1. part. prax. *de Pœnis Ecclesiast.* c. 23. et 24. Bonacin. *de Clausur.* quæst. 1. punct. 5. num. 7. vers. *Secundo quaeritur, et de Censuris* disp. 1. q. 3. punct. 2. num. 1. Diana part. 7. tract. 5. *de Potestat. Episcop.* resolut. 20. Alphons. *de Leon de Censuris* verb. *Mulieres* pag. 361. qui paucis positus ait: hodie est communis; Donat. *prax. Regul.* tom. 1. *de violata Clausur.* *Monasterii* tract. 4. q. 33. et alii.

(5. Fagnanus tamen lib. 1. *Decretal.* in cap. *Dilectus 15. de Temporibus ordinat.* num. 32. et 33. tenet, hodie per Bullam S. Pii V. incipientem *Decori*, non posse Episcopum absolvere Monialem in materia Clausuræ secreto delinquentem, et adducit ad hoc declarationem Sacrae Congregationis, ibi: « Præterea cum dubitasset Archiepiscopus Florentinus, an vigore c. 6. sess. 24. posset absolvere quamdam fregerat Clausuram, non obstante Bulla Sancti Pii V. quæ videtur habere locum in casu publico, variatum est sententiis; nam e decem Cardinalibus tres censuerunt Bullam intelligendam esse etiam in occultis, quia illius verba sunt generalia, et est tantum exceptus casus: Nisi in mortis articulo, etc. Et quia jam declaratur Bullam Cœnæ Domini, quæ prohibet ab aliis absolvi, habere locum etiam in occultis; et quia cum Bulla sit confecta post Concilium, censetur derogasse Concilio. Quatuor censuerunt eam Bullam non habere locum in casibus occultis. Reliqui autem tres dixerunt agendum cum Sanctissimo, qui declaravit, Bullam Sancti Pii V. habere locum etiam in occultis. Tamen concessit facultatem Archiepiscopo absolventi illam Monialem. Unde postea Sacra Congregatio generaliter consulta; An, si Monialis Monasterii jurisdictionis Regularium subjecta secreto deliquerit in materia Clausuræ, in foro conscientiae absolvi possit vigore ejusdem Decreti ab Episcopo, cui tamquam delegato in iis, quæ ad Clausuram pertinent, auctoritas tributa est Decreto c. 5. sess. 25. de Regularibus: stante prædicta Bulla S. Pii V. respondit, non posse. »

(6. Cum impeditis personaliter adire Pontificem, vel in perpetuum, vel ad longum tempus potest Episcopus directe absolvere ab hæresi, et aliis casibus in Bulla Cœnæ reservatis; Diana part. 12. tract. *de Conclavi*

resol. 24. Layman lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 6. n. 5. qui ex communi Doctorum ponit hanc Regulam: « Casus Papalis, superveniente impedimento adeundi Papam, fit Episcopalis, » quia id congrua subordinatio inter Prælatos requirere videtur; Abbas in cap. *de Cætero, de Sentent. excommunic.* num. 1. Castropalao *de Fide* tract. 4. d. 4. punct. 3. § 5. num. 4. Navarrus in summa c. 27. num. 98. Felinus in cap. *Quamvis, de Sentent. excommunic.* Ancharanus in cap. *Eos qui, de Sentent. excomm.* in 6. Reiffenstuel lib. 5. *Decret.* tit. 7. n. 372. Covarruvias in c. *Alma Mater* par. 1. § 11. num. 15. cum communi; Viva ad proposit. 3. Alexandri VII. n. 5. ubi testatur hoc affirmari communissime apud Card. de Lugo disp. 20. *de Pœnit.* n. 218. et Martinum Perez disp. 50. arg. c. *Mulieres* 6. c. *De cætero* 11. c. *Ea noscitur* 13. c. *De Monialibus* 33. c. *Quamvis* 58. *de Sentent. excomm.* 7. c. *Eos qui* 22. eod. in 6. (7. Nec obstat quod in citatis Canonibus sit sermo de excommunicatione contracta ob percussione Clerici, quæ in cap. *Si quis suadente Diabolo* 29. caus. 17. quæst. 4. extra mortis periculum Summo Pontifici reservatur. Non obstat, inquam, quia eadem ratio, ac proinde idem jus est in omnibus excommunicationibus reservatis, ut tradunt communiter Doctores, ne scilicet excommunicatus, ob impedimentum adeundi Papam, pro dilatione pœnitentiæ incurrat periculum salutis æternæ, et facit cap. *Eos qui* 22. *de Sentent. excomm.* in 6. ubi Glossa verb. *Canonis* hoc extendit ad alios casus jure communi Papæ reservatos. Et licet Bulla Cœnæ etiam excipiat solum articulum mortis, Jus tamen Canonicum exceptionem hanc ampliavit ad casum necessitatis, uti est in impeditis in perpetuum, vel ad longum tempus, ut recte observat Viva *loc. cit.* num. 5. (8. Est tamen advertendum, quod si impedimentum est perpetuum, absolvuntur sine ullo onere comparandi. Si tamen impedimentum est solum ad tempus, debent absolvi cum onere adeundi Pontificem, cessante impedimento; non ad obtinendam absolutionem, cum jam sint directe, et plene absoluti; sed ad obediendum mandato Papæ; cap. *Ea noscitur* 13. et cap. *Quamvis* 58. *de Sentent. Excomm.* et c. *Eos qui* 22. eod. in 6. (9. Alias non comparando, elapso impedimento, incidunt in aliam similem excommunicationem; cap. *De cætero* 11. *de Sentent. excomm.* et c. *Eos qui* eod. in 6.

(10. Impediti personaliter adire Pontificem non tenentur mittere Procuratorem, vel scribere ad Sacram Pœnitentiarum pro obtinenda absolutione a casibus, et Censuris Papæ reservatis, quia Jura praescribunt solum ut rei personaliter adeant Pontificem, et ubi lex non aggravat, neque nos aggravare debemus pœnitentes ultra id, quod a Jure exigitur. Sic communiter Doctores cum Barbosa part. 2. *de Off. et potestat. Episcoporum.* allegat. 42. numer. 7. (11. Et si impediti adire Pontificem sint etiam impediti adire Episcopum, probabilius non possunt a casibus publicis reservatis Papæ absolvi in foro conscientiae



a Parocho, aut ab alio Confessario. (12. Sicuti etiam impediti adire Episcopum pro casibus Diœcesanis publicis sibi reservatis non possunt absolvi ab inferiori extra casum necessitatis, quia Jura in dictis impedimentis pro casibus Papæ reservatis concedunt recursum ad solum Episcopum, et pro casibus reservatis Episcopo ad nullum alium inferiorem reperitur concessus pro absolutione recursus, cum non sit tam difficilis personalis accessus ad ipsum, uti communiter tenent Doctores cum Vasquez, Navarr. Suarez, Lugo, Bonacin. teste Viva loc. cit. sub n. 7.

(13. Episcopus nequit absolvere Censuratos ratione violatæ Immunitatis Ecclesiasticæ, cum non habeat talem facultatem in Denunciatis in foro exteriori; Sacra Congreg. Immunit. in Nuscana 5 Februarii 1633. lib. 2. *Decret. Paul.* pag. 217. (14. Unde Episcopus absolvens Censuratos hujusmodi sine facultate Sedis Apostolicæ incidit in excommunicationem eidem S. Sedi reservatam, a qua regulariter datur facultas, ut se faciat absolvere a suo Confessario privatim, et cum Sanctissimo agitur pro dispensatione irregularitatis quatenus incurrerit; Sacra Congregat. Immunit. in Acernen. 29 Januar. 1636. lib. 2. *Decretal. Paul.* pag. 241. et alibi, in Squillacen. 16 Decembris 1664. lib. *Decret. Rocci* pag. 608. (15. Quare injungitur Archiepiscopo, qui sine dicta facultate absolvit Censuratos ex causa extractionis confugiti ab Ecclesia, ut reaffigat cedulones contra ipsos; Sacra Congreg. Immunit. in Brundisina 28 Aprilis 1671. lib. 1. *Decret. Altovit.* pag. 546. (16. Quinimmo tenetur notificare sic a se absolutis, non potuisse absolvere; Sacra Congreg. Immunit. in Bobien. 2 Martii 1700. lib. 2. *Decret. Valleman.* pag. 273.

(17. Episcopus absolvere potest Excommunicatos ob percussione Clerici, vel Monachi levem, etiamsi publicam; cap. *Pervenit 17. de Sentent. Excomm.* et ibi Joan. Andr. n. 5. Fagn. n. 9. et alii passim cum Barbosa *de Offic. et post. Episc.* p. 2. alleg. 41. numer. 2. (18. Excommunicatos autem ob percussione mediocrem et enormem potest Episcopus absolvere tantummodo, si sit occulta; *Concil. Trident.* sess. 24. *de Reform.* cap. 6. Vide verba præcisa relata sub num. 3. (19. Et si fuerit publica, potest Episcopus ab ea absolvere, si personæ excommunicatæ sint impeditæ adire Pontificem impedimento perpetuo, vel longissimi temporis; c. *Mulieres 6. cap. De cætero 11. cap. Ea noscitur 13. c. de Monialibus 33. et cap. Quamvis 38. de Sentent. excomm.* et cap. *Eos qui 22. eod. in 6.* (20. Si impedimentum est perpetuum, absolvuntur sine onere comparendi; si impedimentum est solum temporale, absolvuntur cum onere comparendi cum primum commode poterunt, alias reincident in aliam similem Excommunicationem; c. *De cætero 11. de Sentent. excomm.* et c. *Eos qui 22. eod. in 6.* (21. Quænam autem censeantur personæ impeditæ adire Pontificem; Vide verb. *Absolutio art. 1. 6. 7. 8. et sequent.* (22. Episcopus non potest concedere suo subdito, ut absolvatur in

aliena Diœcesi a Sacerdote non habente jurisdictionem; Gloss communiter recepta in c. *Omnis utriusque 12. de penitentis et remissionibus*, verb. *Alieno Sacerdoti*; et in Clementin. 1. *de Privil.* et utrobique notat Abbas, et tenet Fagnan. in d. cap. *Omnis utriusque*, num. 85. (23. Nec potest Episcopus prohibere quominus suis subditis absolvatur in aliena Diœcesi a Sacerdote jurisdictionem habente a suo Episcopo, ex regula 1. *Nemo qui condemnare, ff. De reg. Juris*, et cap. *Non potest, de Re judic.* Fagnan. loc. cit.

(24. Episcopus dispensare potest cum suis subditis, et in sua Diœcesi in omnibus Irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario injusto, et aliis deductis ad forum contentiosum; *Conc. Trid.* sess. 24. cap. 6. *de Reformat.* ibi: « Liceat Episcopis in Irregularitatibus omnibus, et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum dispensare, et in quibuscumque casibus occultis Sedi Apostolicæ reservatis delinquentes quoscunque sibi subditos, in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientie gratis absolvere, imposita penitentia salutari. »

(25. Hinc potest dispensare in Irregularitate ex homicidio occulto patrato causa defensionis, non servato moderamine inculpate tutelæ, quia hujusmodi homicidium volitum causa defensionis, non comprehenditur sub homicidio voluntario, immo potius licet non sit mere necessarium, necessarii tamen vim habet, quatenus sit causa vitandæ mortis, ut cum multis tenet Barb. *de Officio et potest. Episcopi* p. 2. alleg. 39. n. 35. et 54. (26. Potest etiam Episcopus dispensare in Irregularitate orta ex mutilatione membri occulta, quamvis voluntaria, cum hæc in Jure non sit excepta, et in iis, quæ concernunt rigorem, non sit faciendæ extensio; arg. cap. *Odia restringi 15. de Regul. Juris* in 6, et sic tenet communis cum Barbosa loc. cit. num. 49. (27. Potest insuper Episcopus dispensare in Irregularitate orta ex homicidio casuali, modo delictum sit occultum: Concilium enim concedit Episcopis facultatem dispensandi in Irregularitate ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario; homicidium autem casuale non est proprie voluntarium, ut patet in eo, qui mandavit servo, ut Petrum percuteret, sed caveret, ne occideret; si mandatarius percusserit, et occiderit, homicidium inde secutum non est proprie voluntarium respectu mandantis, sed est casuale culpabile; sic cum plurimis Barbosa loc. c. num. 48. et 51.

(28. Item potest Episcopus dispensare in Irregularitate, quæ contrahitur ex reiteratione Baptismi occulta, etiamsi incurratur ab aliquo publice baptizante, dummodo nesciatur an qui baptizatur fuerit ante baptizatus; Communis cum Barbosa loc. cit. num. 36.

et super *Concil. sess. 24. cap. 6. n. 10.* (29. Item potest Episcopus dispensare in Irregularitate contracta ab eo, qui duos Sacros Ordines, vel Acolythatum cum Subdiaconatu eodem die suscepit, dummodo delictum sit occultum; Communis cum Barbosa locis citatis. (30. Item potest Episcopus dispensare in Irregularitate occulta proveniente ab administratione in Ordinibus male susceptis, dummodo Episcopus ipse non fuerit quoque scienter particeps ejusdem culpæ; Barbosa in *Concil. loc. cit. num. 12. et de potest. Episc.* loc. cit. num. 41. et alii communiter. (31. Item potest Episcopus dispensare in Irregularitate, quam quis contraxit in exercendo Ordines, quos non habebat, ut exerceat susceptos, et alios suscipiat, dummodo delictum sit occultum; Barbosa in *Trident. loc. cit. num. 13. et de potest. Episcop.* loc. cit. num. 43. et alii passim. (32. Item potest Episcopus dispensare in Suspensione, et Irregularitate contracta ab eo, qui ante legitimam ætatem Ordines suscepit, si jam ad legitimam ætatem pervenerit, et delictum sit occultum, licet celebratio sit publica. Sic decisum fuisse a Sacra Congregatione *Concil. refert Garcias part. 2. de Beneficiis cap. 5. num. 51.*

(33. Episcopus dispensare potest cum Ordinato ad Ordines minores, vel ignoranter ad Sacros ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatu et Dignitati, aut Censura irretito, schismatico, hæretico, deposito, vel degradato, dummodo delictum sit occultum; arg. cap. *Requisivit 1. de Ordinatis ab Episcopo, qui renunciavit Episcopatu*, et communis Doctor. cum Fagnan. *ibid. num. 1.* Barbosa in *Tridentin. loc. cit. num. 21. et de potest. Episc.* loc. cit. num. 42. (34. Item potest Episcopus dispensare in Suspensione, quam quis contraxit recipiendo Ordines sine literis dimissoriis, dummodo sit occulta; Barbosa in *Trident. loc. cit. num. 18. de Potest. Episcop.* loc. cit. num. 39. et alii. (35. Item potest Episcopus dispensare in Suspensione contracta ab eo, qui furtive, id est nesciente Episcopo, neque probante, neque examinante, Ordines suscepit, si occulta sit; Suarez *de Censuris*, disp. 42. sect. 2. num. 5. Coninck tom. 2. disp. 18. dub. 5. num. 43. Ugolin. *de Offic. et potest. Episc.* cap. 37. § 2. num. 4. vers. quarto, et alii passim. (36. Item potest Episcopus dispensare cum eo, qui per saltum promotus ad Ordines celebravit, ubi delictum fuerit occultum. Ugolin. loc. cit. § 2. num. 4. vers. Tertio, Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.* loc. cit. num. 40. et alii passim. (37. Item potest Episcopus dispensare cum Simoniaci occulto, non tamen illum rehabilitare ad Beneficia in posterum obtinenda, nec ad ea retinenda, quæ per simoniam occultam obtinuit. Ita decisum fuisse a Sacra Congregatione testatur Suarez *de Religion.* tom. 1. tract. 3. lib. 4. c. 61. num. 11. Garcias *de Benefic.* part. 8. c. 1. num. 74. Barbosa *de Offic. et potest. Episcop.* loc. cit. n. 44. et alii apud ipsos.

(38. Episcopus non potest dispensare in

Irregularitate orta ex hæresi occulta exteriori; desumitur ex c. *Cum illorum 32. de Sentent. excomm.* ubi habetur quod Episcopi non habent facultatem dispensandi in illis casibus, in quibus non habent facultatem absolvendi, sed hodie per Bullam Cœnæ est abrogata Episcopis facultas absolvendi a crimine occulto hæresis cum derogatione *Concilii Tridentini*, ut sæpius declaravit Sacra Congregatio, cum Bulla dicat expresse et aperte, *cujusvis Concilii Decreta*, ergo etiam intelligitur ipsis ablata facultas dispensandi in Irregularitate ab illa proveniente; vid. verb. *Absolutio art. 1. num. 2. 3. et 4.* (39. Episcopus dispensare potest cum occulto excommunicato, qui publice celebravit, quia licet actus celebrationis sit publicus, non tamen publica est illius malitia. Secus vero, si publice sit excommunicatus, et celebravit occulte. Sic decisum fuisse a Sacra Congregatione *Concilii refert Fagn. lib. 3. Decret. in c. Vestra 7. de Cohabitat. Clericor. et mulier.* num. 148. Cum enim, ut ibi dicit, quæsitum fuisset: « An vigore cap. 6. sess. 24. *de Reform.* possit Episcopus absolvere ab Irregularitate proveniente ex delicto, quod licet publicum sit in se, tamen tanquam causa Irregularitatis, occultum censi potest, quia licet actus publicus sit delictum, publice tamen nescitur esse delictum, die 9. Septembris 1532. Sacra Congreg. censuit, quando delictum, ex quo provenit Irregularitas, est publicum, quamvis actus ille, quo interveniente irregularitas incurritur, occultus sit, Episcopum dispensare non posse; veluti si Sacerdos publice excommunicatus, vel notorie simoniacus occulte Missam celebraverit. Quod si delictum occultum est, ut puta excommunicatio, vel fornicatio, actus vero Missam celebrandi, ex quo Irregularitas incurritur, publicus, posse nihilominus Episcopum ab omni Irregularitate absolvere ex d. cap. 6. »

(40. Episcopus dispensare non potest cum Inquisitis de delicto, quod non potuit probari, si nec definitive, nec alio modo fuerunt absoluti, sed dimissi cum cautione de se præsentando. Sic decisum fuisse a Sacra Congregatione *Concilii refert Fagnan. l. 3. Decretal. in cap. Vestra 7. de Cohabitat. Clericor. et mulier.* num. 137, cum proposito dubio: « An illi, qui occasione delictorum suorum fuerunt inquisiti, sed quia non potuerunt delicta probari, non fuerunt quidem definitive, vel alio modo absoluti, sed simpliciter dimissi, recepta promissione de se præsentando possint uti beneficio cap. 6. sess. 24. Sacra Congregatio censuit non posse, quia scriptura deducta est ad forum contentiosum; sicque sufficit sola deductio, quidquid inde sequatur. » (41. Episcopus dispensare non potest in materia delicti ad forum contentiosum deducti, et jam finito iudicio puniti. Et ratio est, quia per sententiam condemnatoriam delictum efficitur notorium, ut dicitur in c. *Vestra 7. de Cohabitat. Clericor. et Mulier.* ibi: « Notorium definitur de quo Presbyter canonice condemnatur; » et c. Quæsitum 10, eod. tit. ibi:



« Nisi peccatum huiusmodi sit notorium per sententiam. » Ridiculum enim est, ut post sententiam remaneat delictum occultum; cap. de hoc 11, de *Simonia*. Tum quia si ex declaratione Sacrae Congregationis, allata num. antecedenti, non licet Episcopo dispensare in delictis deductis, ad forum contentiosum, quando adhuc incertum est, an inquisitus sit culpabilis necne; longe minus licebit, quando per sententiam condemnatoriam, certum et notorium est reum esse culpabilem. Sic Fagnan. loc. cit. num. 140. Barbosa de *Offic. et potest. Episcop.* allegat. 37, num. 35, cum multis ibi citatis contra Sanchez, Henriquez, Reginald. et alios ibi citatos sentientes etiam in hoc casu posse Episcopum dispensare. (42. Potest tamen Episcopus dispensare cum reo, qui finito iudicio contentioso obtinuit absolutionem ab injecto crimine, quia adhuc manet occultum, et non potest dici deductum cum effectu, ex quo probatum non fuit. Barbosa loc. cit. num. 32, cum plurimis ibi adductis. (43. Etiam si mediis depravatis obtinuerit absolutionem, adhuc cum ipso poterit dispensare Episcopus. Barbosa loc. cit. num. 33, cum Suarez, Sanchez, Sayro, Campanil. et aliis ibi adductis. (44. Immo etiam si iudicium non fuerit sententia absolutoria finitum, si accusator per annum tacuerit, poterit Episcopus, elapso anno, cum ipso dispensare, ut tenet Campanil. in *divers. Juris canon.* rubr. 7, cap. 5, num. 8, et rubr. 11, cap. 23, n. 144, et allegat Gloss. verb. *Obrepsit* in cap. *Tantis* dist. 81, et c. *Omnipotens Deus de Accusat.* Majol. de *Irreg.* l. 4, c. 17, sub n. 9. March. tr. 1, p. 9. *Diffic.* 4, n. 8, et 9. Barb. loc. c. n. 34, cum Sayro, Boss. Sigismundo a Bonon. ibi citat.

(45. Quando Episcopus possit, vel non dispensare quoad Sacros Canones, Constitutiones Apostolicas, et Decreta Conciliorum Generalium. Vid. Verb. *Dispensatio* a num. 22, usque ad finem. Quoad Bigamiam, Vid. verb. *Bigamia*. Quoad observantiam Festorum, Vid. verb. *Festum*. Quoad jejunia, Vid. v. *Jejunium*. Quoad impedimenta matrimonii, Vid. v. *Matrimonium*. Quoad Irregularitatem, Vid. *Irregularitas*. Quoad Juramenta, et vota, Vid. v. *Juramentum et Votum*. Quoad poenas Simoniae, Vid. verb. *Simonia*.

(46. Varia de Episcopis, Quoad Visitacionem, Vid. v. *Visitare, Visitatio*; quoad Ordinationes, seu Ordines, Vid. verb. *Ordinare, Ordo*; quoad Regulares, verb. *Regularis*; quoad Praedicationem, Praedicatorum, verb. *Praedicare, Praedicator*; quoad Processiones, verb. *Processio*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(47. Recte Auctor tom. 2, verb. *Dispensatio*, num. 24, inquit, Episcopum non posse dispensare a Legibus Ecclesiae nisi in casibus ipsi permissis. (48. Falsa enim est opinio illa quod Episcopus, modo specialim non sit prohibitus, valeat ab Ecclesiae Legibus dispensare. (49. Fuit olim, non inferior, opinio haec D. Antonini 1 part. tit. 17, § 20. Sot. in 4, distinct. 27, qu. 1, arti-

cul. 4. Victor. in *Relection. de Potest. Eccl.* n. 18, et in praesens omnium fere Gallorum. (50. At opinionem hanc confutarunt Wiestner ad titul. *Decretal. de Constitut.* n. 199. Leuren. ad eundem titul. quaest. 182, et sequent. Suarez de *Legibus* lib. 6, cap. 14, fer. per tot. Pont. de *Matrim.* lib. 8, cap. 6, et novissime Mazzei de *Matrim. Conscient.* c. 2, § 5, et not. 2, impress. Romae per Barbiellini et qui priori loco commemorandus erat Benedict. XIV. de *Synod. diocesan.* lib. 9, cap. 1, § 5, et seq. et jure quidem meritoque. (51. Nulla enim Inferiori potest esse potestas dispensandi a Legibus Superioris, nisi haec ei potestas fiat ab ipso Superiore.

(52. Frustraque objicitur Canon. 29, de *Sentent. excommunicat.* Respondetur (ita optime ad rem Cap. hoc 29, explicat Suarez de *Legib.* lib. 6, cap. 14, num. 7,) sermonem ibi esse de absolutione a censuris, de qua longe diversa ratio est, quam de dispensatione. In quo multi errant ab una ad aliam argumentantes, non considerando differentiam inter illas, quam supra posuimus. Absolutio enim non est contra, aut praeter legem Superioris, sed secundum illam, et ideo nihil mirum quod possit ab inferiore dari, quamdiu non reservatur. Praeterea absolutio a censura, praesertim ab excommunicatione ordinatur ad bonum animae, et est necessaria ad usum Sacramentorum, et ideo merito concessa intelligitur, quando non reservatur. Quod secus est de dispensatione ab irregularitate v. g. et similibus. Hujus etiam evidens argumentum est, quod in dicto Cap. Nuper non solum Episcopo, sed etiam Parocho censetur concessa absolutio a censura Canonis non reservantis. Nemo autem dicet Parochum posse dispensare in omni lege, vel poena, non specialiter ipsi reservata.

De Regulis ex quibus dignosci queat an Episcopo permissum necne sit dispensare a Legibus Ecclesiae, consule Wiestner. et Leuren. locis modo citatis.

ARTICULUS VI.

Quoad ea quae episcopus potest, et debet, vel non.

(1. Episcopus prohibere potest, ne in Ecclesiis etiam Regularium canantur Cantilenae, vel laudes idiomate italico; Sac. Cong. Rit. in Novarien. 7. Augusti 1628. et hoc auctoritate tributa a Concilio Trid. in Decreto de *evitand. in celebrat. Missar.* (2. Immo non obstante quacumque contraria consuetudine poterit Episcopus prohibere, ne in Ecclesiis et Oratoriis publicis canatur. Musica lingua vernacula, quantumvis Cantiuenculae, et verba spiritualia sint. Sac. Cong. Rit. in Hispalen. 3. Septembris 1659. et 24 Novembris 1696. referente Eminentissimo D. Cardinali Colloredo in responsione ad quartum, quia cantus huiusmodi est contra Ritum Ecclesiae. (3. Episcopus potest suo arbitrio moderari scamna, et loca Laicorum in Ecclesia, Sac. Congr. Rit. in Vintimilien. 10. Decem-

bris 1604. in Fundana 5 Octobris 1697. et in Verulana 6. Septembris 1698. et Sac. Congr. Episcop. in Januarii 7. Aprilis 1583. in Camerinen. 12. Januar. 1588. in Sarzanen. 21. Novembris 1600. et in Recanaten. 10. Februar. 1645. (4. Episcopus potest prohibere, ne sedes Laicorum, etiam Praefecti, et Commendarii locorum, locentur in Praesbyterio apud Altare, non obstante quacumque consuetudine in contrarium. Sac. Cong. Rit. in Equitanien. 10. Junii 1602. in respons. ad 6. (5. Episcopus potest remove indecentia et scandalosa in Ecclesiis arbitrio suo, Sac. Cong. Rit. in d. Equitanien. in respons. ad 5. dubium. (6. Episcopus potest prohibere Ludimagistris exercitium Scholae, quamvis fuerint nominati a communitatibus laicorum, nisi prius fuerint ab eodem approbati, ut respondit Sac. Cong. Concilii in Asculana Apuliae 28. Junii 1691.

(7. Episcopus potest ordinare, ut Canonici sedeant in sedibus Chori, vel in Scamnis apud Altare hinc inde juxta usum introductum, prout sibi melius videbitur Sac. Cong. Rit. in Alexandrina 25. Martii 1608. in respons. ad 11. dub. (8. Episcopus potest decretum edere, ne Canonici, et alii de Capitulo discedant ab Ecclesia tempore Concionis, et quod illi intersint quotidie sub poena amissionis distributionum illius diei, in qua defecerint; Sac. Cong. Episcoporum. in Comens. 10. Maii 1589. et in Castellatenen. 20. Augusti 1602. et Sac. Cong. Concil. in Nicien. 18. Novembris 1628. et in Milevitana 9. April. 1707. et Congregatio particular. in Casalensi 11. Martii 1708. ad 19. apud Card. Petram tom. 3. *Comm. in Constit.* 2. Nicolai III. n. 18. (9. Episcopus potest reducere consuetudinem longioris vacationis Canonicorum a servitio Ecclesiae ad tempus praescriptum a Sacro Conc. Trident. Sac. Cong. Conc. in Equitanien. 22. Novemb. 1602. ad 1. dub. (10. Episcopus potest auctoritate ordinaria, et etiam Apostolica sibi delegata a Sacra Congregatione prohibere Decano, et aliis quibuscumque Dignitatibus, et Canonicis, ne audeant, vel praesumant quidquam statuere, vel determinare, quod ad Ecclesiae commodum, vel incommodum pertineat extra locum Capitularem, et non vocatis omnibus; Sac. Congreg. Rit. in Lamacen. 7 Octob. 1606. (11. Episcopus potest Regularem exemptum, qui ob notorium delictum in Censuras incidit, denunciare pro publico excommunicato, ut tanquam talis evitetur ab omnibus; Sac. Congreg. Conc. in Messan. 11. Decembris 1626. et in Limana 19. Januar. 1633. et tenent Fagnan. in cap. *Grave* n. 73. de *Offic. Ordinarii* et in cap. *Potest.* a num. 15. ad 25. de *Sentent. et re judicat.* Barbosa de *Offic. et potest. Episc.* allegat. 105. n. 73. Card. de Luco in *Miscellan.* disc. 14. n. 6. et 7. de *Jurisdict.* disc. 29. num. 2. et 3. Panimoll. decis. 84. ad not. 2. n. 65. Pignatell. cons. 10. a num. 1. ad 6. tom. 7. et consult. 52. num. 6. et seq. tom. 9. Ventrigl. prax. part. 1. ad not. 48. num. 134. Tamburin. de *Jur. Abbat.* tom. 1. disp. 15. q. 7. num. 38. Nicol. Lucubrat. Canon. l. 5. tit. 39. de *Sentent. ex-*

comm. n. 29. Pirhing. lib. 3. *Decretal.* tit. 31. num. 115. et alii plures. (12. Contrarium tamen tenent plures alii, quos congerunt, et sequuntur Pasqualig. ad Lauret. de *Franc. contr.* part. 1. num. 138. Donat. *prax. rer. Regular.* tom. 1. part. 2. tract. 13. quaest. 26. et 27. quibus favere videtur Raynald. *observat. crim.* suppl. ad caput 32. supplement. 4. num. 31. et seqq.

(13. Episcopus potest rationem administrationis officii exigere a Vicario Capitulari tempore Sedis vacantis constituto, et si reus reperiat, punire, ut declaravit Sac. Congregat. Concil. 8. Aprilis 1595. ad cap. 16. sess. 24. de *Reform.* Immo Episcopus omitens scienter et negligenter facere syndacatum Vicario capituli, secundum graves Doctores peccat mortaliter quia Concilium Tridentinum d. c. 16. sess. 24. de *Reformat.* non consulit, aut hortatur Episcopum, ut recipiat rationem administrationis officii a Vicario, et aliis Officialibus Capituli, sed ei praecipit, et imperat illis verbis: *rationem exigat*; (14. Unde Episcopus omitens scienter, et negligenter id facere contra praecceptum Concilii, non est, ut refert Monacelli part. 3. tit. 1. formul. 40. num. 2. immunis a culpa mortali per text. satis clarum in c. *Nulli fas* 19. dist. et ex aliis Juribus ad hoc probandum adductis a Fagnan. in c. *Quoniam* num. 22. de *Constitut.* et in c. *Acrapula*. num. 21. de *Vita et honest. Clericor.* (15. Episcopus potest exigere juramentum de fidelitate administrandi ab administratoribus Locorum, et Legatorum piorum. Sac. Congreg. Concil. in Aliphana 18. Julii 1705. et 8. Maii 1706. (16. Et potest Episcopus ab ipsis rationes et computa administrationis exigere, tam in Visitatione, quam extra, etiam per suum Delegatum, non obstantibus quibuscumque privilegiis. Concil. Trident. sess. 22. c. 8. et 9. de *Reformat.* Sac. Congreg. Concil. in Hispalen. 11. Januarii 1596. et in Ferentina 15. Martii 1604. et saepe alibi. (17. Immo Episcopus potest ab ipsis rationes et computa administrationis exigere, etiam si defunctus deposuisset, quod Legatum esset nullum, quando se immisceret Episcopus, et rationem requireret ab Executore et Administratore, quem voluit a nemine posse cogi ad reddendam rationem. Sic expresse declaravit Sac. Congregat. Concil. apud Fagnan. in c. *Tua Nobis, de Testament.* num. 16. et iterum in una Civit. Plebis 10. Decembris 1695. in qua bis resolvit, Episcopum, tanquam Executorem omnium Legatorum piorum posse ad formam d. c. *Tua Nobis, de Testam.* cogere Administratores ad exequendam, et adimplendam Testatoris voluntatem, non obstante, quod expresse excluderetur in Testamento his verbis: « Che Monsignor Vescovo, o suo Vicario pro tempore non possa in alcun modo, ne sotto qualsivoglia pretesto, e causa ingerirsi, ne ad effetto d'eseguire, esortare, e persuadere, ne ad altro effetto, nella presente donazione, disposizione ed istromento, ma il tutto sii esente dalla sua giurisdizione ordinaria, e delegata, e dalla legge diocesana, che con questa condizione espressa il detto